



Nicolaus natus est in Alsatia patre Georgio ex nobili familia ab Hatstatt, anno 1510. Is cum prima literarum fundamenta iecisset, animum ad armorum studia conuertit, atq; militarem disciplinam facile percepit. Inde uero cum adoleuisset, prima belli tyrocinia regi Suetiæ præstitit, atq; in Belgis & partibus Septentrionalibus per aliquot annos sua arma circumtulit, & peditum ordines duxit. Postea uero in patriam reuersus, Francisco Galliæ regi militare cœpit, atq; sua præsentia eius partes plurimùm adiuuit. Itac cum in Germaniâ rediisset, atq; Carolus Imperator in bello Smalkallico uictor extitisset, Nicolaus anno millesimo quingentesimo quadragesimo octauo cum alijs Gallicis capitaneis Augustâ pertrahitur, ut Cæsar's sententiam audiret. Ibi cum se se egregie excusaret, atque multi principum & nobilium, ob præclaras huius uiri animi & corporis uirtutes, intercederent, liberatus, atque à Carolo Cæsare in gratiam receptus fuit.